



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

V. Quodnam recitandum officium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

632 *Moralis Theologie Tract. V. Virtutes,*
tariè fructus non percepisset, teneretur; secus qui ob ali-
rius violentiam, aut potentiam fructus non percepit, nō
spes certa recuperandi adesset.

31. *An teneantur recitare Canonici, qui ex Ecclesiis/*
consuetudine unico, aut duplice anno fructibus non fruuntur?
Probabile arbitror non teneri; probabilius cum Sezio
contrarium affromo; quia voluntarie illi huic oneri sub-
ciuntur.

32. *Qui fructus percipit stipendiū loco ob docendam Gram-*
maticam, tenetur ne recitare? Minime.

33. *An teneatur qui fruitur pensione ob secularia obsequia?*
Non tenetur, secus qui Clericali titulo; debet enim parum
Deiparae Officium recitare.

34. *An qui Præstimonio, aut Capellania collatiua fungimur?*
Ita quidem, secus si collatiua non sit; tunc enim Beneficium
non est.

35. *Num qui integrè Beneficium commendatitum habet?*
Recitare debet, sicut qui manuale Beneficium obtinet, dum
possider.

36. *An Coadiutor? Non tenetur recitare, si non admini-*
strat; quia obligatio illa proprietarium tenet.

37. *Num possit ab huiusmodi obligatione Beneficiū tenitū*
excusare? Si fructus tertiam congruae sustentationis par-
*tem non implent, v. g. quantitatē vigintiquinque ducato-
rum, Beneficiarius excusat, quia ius non exigit laborem
ab eo, qui stipendium non suscipit. Attamen huiusmodi
Clericum monerem saltem solemnioribus diebus, licet non
teneatur, ob perceptam sustentationis portionem ingendū
recitare.*

C A P V T V.

Quodnam recitandum Officium?

38. *Quodnam Officium sit recitandum? Ex antiquo com-*
muni iure Clerici tenebantur, priuatiū Officium
recitare iuxta Breuiarium sua in diœcesi approbatum. Ex iu-
re autem nouo Pij V. iuxta Bullæ eius præscriptum recitare
debent.

39. *An delinquat qui unum Officium pro altero recitat?*
Venialiter tantum peccare assero, qui id agit, modo Offi-
cium Paschatis & Pentecostes non sit, quoad Matutinum,
nec

nec Dominicæ Officium frequenter omittatur, nec quotidie feriale Officium pro Sancti breviori commutetur. Ratio est, quia præcepti substantia Officij est Canonici recitatio, recitari autem hoc, aut illud, accidentale reor. Verum excepit duplicitis Paschatis Matutinum; quia licet Canonici Officij ratio in omnibus militare videatur usus iuste contrarium obtinuit, quod speciale priuilegium sit illis solemnitatibus concessum.

40. *An aliquando nec venialis erit culpa, unum Officium pro altero recitare?* Non delinqueret venialiter, qui id iusta ex causa præstaret, v. g. si alterum ex charitate iuuaret; si gravioribus occupatus temporis laboraret inopia; si ex affectu, aut deuotione speciali illud vellet semel, aut bis in anno Diuo alicui libare obsequium.

C A P V T V I.

Ordo recitandi.

41. *A n sit piaculum, ordinem Officij variare? Venialis culpa est, vel à minoribus Horis incipias, & termines in Matutino, vel lectiones Psalmis præponas, vel sequentis diei Matutinum recites priusque præsentis obligationem expleueris in parte, aut in toto.*

42. *Quodnam peccatum est Sacrum celebrare ante Matutini recitationem?* Si adest causa, nullum; si non adest, solummodo veniale erit, quia semper aliqualis negligentia admiscetur.

43. *Delinquit ne, qui Officij incepti aliquam horam, aut Psalmum interrupit?* Si diuidas unum Nocturnum ab alio iuxta pristinum usum, non delinquis. Culpabilis interruptio eiusdem Horæ aut Psalmi, aut lectionis, &c. Si notabilis, sit venialis erit; si adest causa, minimè. Laudes possunt adhibita Matutino Oratione diuidi. At interruptio Nocturnorum trium horarum spatium non excedat, si velis à veniali culpa abstinere. Porro nullam eiusdem dici interruptionem quantumvis longam mortalem esse reor.

44. *Exprime obligationem eorum, qui priuatum Officio recitando dan' operam.* Tenentur recitare integrè, intelligibiliter, expressè; nec enim mentalis pronunciatio sufficit, ut falso aliquis olim asseruit. Extra Chorum Officium paruum, & Defunctorum obligatoriè non recitatur, secus Litaniæ, quando-

R r 5 proce

pente costes